



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 2. De rectitudine intentionis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

§. II. De rectitudine intentionis.

Secunda sacerdotis dispositio ad celebrandum est rectitudo intentionis, virtutis enim laudem vel vitii notam à fine, quem intendimus, actiones nostræ fortiuntur. Intentio autem ut recta sit, non solum excludit omnem finem malum, & alienum ab ipsa sacrificii institutione, sed etiam vetat ad ipsum accedere ex sola consuetudine sine actualitanti mysterii consideratione, & prævia præparatione. Sacerdos itaque celebraturus diligenter attendat quo fine moveatur, an propter damnabile lucrum, aut aliquod temporale motivum, non cælestem panem, sed terrenum quærens; non animæ salutem, sed corporis emolumentum: ne sacrificio pro mundi vita instituto in sui perniciem abutatur. Finem sibi præfigat excelsum, cælestem, supernaturalem, qui Dei gloriam respiciat, propriam salutem & perfectionem, ac proximi utilitatem. Huc dirigat suam intentionem, ut per hanc victimam salutarem purgetur à peccatis, à languoribus animæ curetur, & ab ingruentibus malis protegatur: ut ab aliquarentatione, & adversitate eripiat: ut aliquod beneficium impetret, & de perceptis gratias agat: ut virtutes, augmentum gratiæ, & donum perseverantiæ obtineat: ut pro variis proximorum necessitatibus, & pro requie defunctorum Deum interpellet; & universam Ecclesiam ei commendet: ut cultum patriæ Deo exhibeat, sanctisque honorem & venerationem: ut Christi passionem & mortem commemoret, sicut ipse præcepit dicens, *Hoc facite in mei commemorationem*: ut emendatus ab omni inquinamento carnis & spiritus seipsum Deo jungat, & inseparabiliter uniat, cum ipso consummatus in unum. Ex his & aliis hujusmodi motivis intentionem ante Missam dirigere oportet juxta formulam infra tradendam. Non est autem hoc loco prætermittendum quosdam eximie sanctitatis & doctrinæ viros semper memores incertitudinis vitæ quotidie hac intentione corpus & sanguinem Christi

In Missæ sacrificio suscepisse, ut si eos contingeret ea die mori, Viaticum illis foret ad vitam æternam. Multum verò hoc proderit sacerdoti ad mortis & æternitatis memoriam sedulò renovandam.

§. III. De actuali devotione.

Tertia dispositio in actuali devotione consistit, quam ut in se excitet sacerdos, satagere debet primò, ut quicquid de hoc ineffabili mysterio, cælestiumque charismatum thesauris in eo reconditis sacro-sancta docet Ecclesia, firma fide apprehendat cum sublimissima eorundem æstimatione. Verbis enim consecrationis ab eo prolatis, panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi transsubstantiatur, atque ibi adest sub specierum velamine illud purissimum Christi corpus, quod pro salute nostra cruci affixum fuit: adest sanguis, qui pro nobis effusus est: adest anima gloriosa, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: adest Christus verus Deus & verus homo, mirabilis in maiestate sua, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Necessaria secundò est ad excitandam devotionem humilitas, quæ præ cæteris virtutibus in hujus sacramenti institutione maxime enituit. Christus enim cum in forma Dei esset exinanivit semetipsum, & sub exiguis speciebus panis & vini corpus suum & sanguinem atque Divinitatem conclusit, seipsum exponens sceleratorum hominum injuriis, qui pleni immunditiis ad ipsum accedere, eumque pollutis manibus contrectare præsumunt. Par igitur est sacerdotem tantam humilitatem imitari, & in suum nihilum resilire, ac nihil de se præsumere. Sola humilitas est, quæ dignè nos præparat ad tantum hospitem suscipiendum. Nulla nostra dispositio, nulla industria, nulla virtus; sed sola Dei gratia nos dignos reddit: quare nostram debemus indignitatem agnoscere, & soli divinæ misericordiæ inniti. Tertiò, quia Christus hujus mensæ delicias acerbissima sua passione nobis promeruit, sanctos sacerdotes legimus